VIII
BYLENG

XIII
8

1035.5

IVLII CAESARIS BVLENGERI

Præfatio,

PISIS HABITA ANNO M.DC.XVIII.

SApienter, & opportunè à maioribus noſtris inſtitutum eſt, vt feriæ literarum, & quædam quaſi laboris interſpiramenta certo tempore eſſent, quibus animi continuatione ſtudiorum attriti conualeſcerent, & modica ceſſatione nouas vires acquirent. Exhauriuntur agri perpetua fœtura, & in chely fides, ſi continuo tenduntur, rumpi neceſſe eſt, ſuccedit nox diei, ver hyemi, ſomnus vigiliæ, & rerum vices in hoc vniuerſo eſſe oportet, vt vigeant, & alterna quiete reparentur. Eques remittit ſubinde habenas, & ſuſtinet equum, ne continuo curſu deficiat, cælator oculos diu intentos abducit ab opere, ne fatiſcant, & viridi colore paſcit. Sed ſicuti agri cum interquieuerint ad ſementem accipiendam, frugemque ferendam ſunt vegetiores, Ita & vos poſt has literarum ferias alacriores, vegetioreſque ad repetenda bonarum artium ſtudia, priſtinumque munus ineundum, redire mihi perſuadeo; pollicetur hoc lectiſſima doctorum vndique affluentium corona, frequens ſtudioſæ iuuentutis concurſus, alacritas quam oculis, & vultu, attentio quam auribus, animiſque præfertis, vt idem vo-

bis

FLORENTINAE BIBLIOTH
BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

bis euenire videatur quod ijs qui iuuenili certamine foſſam tranſiliunt, qui quo longius à ſcammate recedunt, eò vehementiores impetus ſumunt, & rapidiori ſaltu ſcamma tranſuolant. quem alacritatis impetum quia vos hodie rebus relatis afferre video, rogo vos, vt breuiſsimi temporis audientiam mihi me denegetis, & qui corporibus adeſtis, animis adeſſe non grauemini. Duæ maxime viæ ſunt acquirendæ ſcientiæ, auditio, & lectio, quarum altera facilior quam natura inſtituit, altera operoſior, quam diſciplina præſcribit, illa vel teneri infantes ſine labore diſcunt, iſta vel eruditi viri docentur, illa vel pueris ad omnia patet, iſta ſolidæ, & corroboratæ ætati prompta eſt, vtraque & iuuenibus, & viris pariter opportuna. Brachmanæ, & Pythagorei quinque annos ſilentio vſi aures docentibus accommodabant, vt altius documenta, firmiuſque animis hærerent. Polemon Athenienſis adoleſcens luxu perditus cum in Xenocratis auditorium ſapientiæ fama nobile, habitu bacchantis per laſciuiam irrupiſſet, eius oratione delinitus primum quidem hederam, & hinnuli pellem ſibi detraxit, mox thyrſum & tympanum abiecit, tum vultum ad modeſtiam compoſuit, denique in diſciplinam philoſopho ſe tradidit, & audiendo, meditandoque ſummus ipſe philoſophus euaſit. Philiſcus itidem Athenienſis, iuuenis libidine ardens, vbi aures Diogeni cynico præbuit, libidine reſtincta philoſophari cœpit, quem pater vt à Philoſopho abduceret cum filium alterum miſiſſet, is oratione Diogenis illectus, in eius ſe diſciplinam dedit, pater vtrumque reuocaturus cum Diogenem adijſſet, audiſſet que, rebus omnibus valere iuſsis & ipſe ſapientiæ præceptis imbuendum ſe tradidit. Deus immortalis quantum ponderis in auditione poſitum eſt, quæ & iuuenem furentem ſapere, & infenſum molliri, & ruſticum ac barbarum exuta barbarie ſapientiæ pręceptis expoliri coegerit. Cum in ea re tantum momenti eſſe cernerent, Amici olim amicorum quos inuiſerent filiolos apprehenſis auribus exoſculari ſoliti erant, vt aurium curam, culturamque illis commendarent, quibus ad diſciplinam nihil opportunius eſt, ſi concham te præbeas inquit ille, non canalem, Concha enim quod infun-

ditur

1035.5

ditur tenet, canalis emittit. Equidem id cauſæ eſſe putem, cur Heracleotis in Boeotia Herculeus nodus quem auſpicatum & ſalutarem habuerunt ad aurem aſtructus ſit, vt ea quæ auribus commiſſa eſſent, ad perpetuitatem veluti nodo quodam obſtricta manerent. Quo pertinet elegans ſculptura in veteri nummo, vbi digiti, pollex & index ad aurem oppreſsi, aſcriptum recordare, quod in infima aure memoriæ locus eſt, docente Plinio, quem tangentes atteſtamur, vt ea res argumento eſſet, quæ pulchre docentur ea non tantum auribus accipienda eſſe, ſed etiam memoriæ tradenda vt hæreant, ne dolio pertuſo ſimiles ſimus, quod generoſum vinum capere non poteſt, quia rimis vndique perfluit. Hoc ipſum voluiſſe Carpocratem diuinæ ſapientiæ opinione clarum Sanctus Epiphanius ſcribit, qui diſcipulis ſuis candenti forcipe aurem inurere ſolitus erat, vt documenta ſua non magis ex eorum animis quàm ſtigmata ex auribus exurenda eſſe oſtenderet. Ideo memoriæ aurem, genio frontem, Mineruæ digitos, miſericordiæ genua veteres dicarunt narrante Plinio, quod ea quæ auribus accepta ſunt, memoriæ mandanda, fronte præferenda, digitis & opere tractanda miſeris impertienda ſint, quæ vero male docentur, repudianda. Quare Plato philoſophiæ omnis antiſtes iuuenibus vt pugilibus munimenta aurium adhibenda eſſe dicebat, ne ſicut his tempora verberibus, ita & illis mala allocutione aures animique frangerentur. Omnino peſsime cum illis agitur, qui vel animi ſtupore & tarditate quæ pulchre docentur non percipiunt, vel impudenti faſtidio flagitioſe reſpuunt. Hi ſponte obſurdeſcunt, de quibus illud Iuriſconſulti D. de poſtulando non immerito vſurpari poteſt, ſurdum qui prorſus non audit, prætor apud ſe prohibet poſtulare, ita & muſæ ſacris eos ſuis arcent, qui ad eorum cantus obſurdeſcunt, & ſicut aſini ad lyram aures mouent, aut rudunt. Sæpius dixi, denuo dico, non vt audientibus blandiar, ſed vt ſui quemque boni admoneam, & currentibus calcaria ſubdam, nuſquam gentium in iuuenibus memoria firmior, ſenſus integrior, mens vegetior quàm in Italia reperitur. Scenica acroamata, quia placent, primo ſtatim auditu ſic hærent, vt ad verbum

ea

ea reddere, & ex tempore feſtiuum aliquid de ſuo addere poſsint. Quam animi celeritatem ad res ludicras affertis, ingenui adoleſcentes; eam ad res ſerias afferte, non eſt hic ſcena, ſed ſapientiæ ſacrarium. Doctores vndique celeberrimi grandi ſtipendio, ſumma Sereniſsimi Magni Hetruriæ Ducis liberalitate arceſſuntur, qui auribus & ſtudijs veſtris ſeruiant. Theologi Iuriſperiti, Medici, Philoſophi, Oratores, ex tota Italia clariſsimi confluunt, vt vobis animorum paſtum abunde præbeant quem vos auide vt decet accipite, & alta meditatione concoquite. Aegroti ſalus deſperanda eſt, qui cibum vel reſpuit, vel vt demiſit, ſtatim euomit. Quare & Aegyptij ſcientiæ argumento cælum pingere ſoliti vnde ros deflueret, vt ea res documento eſſet, ſicut ros ſaxis non prodeſt ob inſitam duritiem, ſed herbis, plantis, arboribus ob bonam habitudinem, ita & eruditionem animis docilibus & bene compoſitis, non barbaris & truculentis fructui eſſe. Auditio igitur ad diſciplinam vtilis eſt, ſed attenta & diligens lectio non minus opportuna, quia cum Doctoribus qui viua voce docent raro, cum libris & mortuis magiſtris aſsidue conſueſcere licet. Illi aditum ad eruditionem aperiunt iſti penetralia recludunt, illi vbi lateat theſaurus indicant, iſti theſaurum effodiunt; illi viam ad literas ſternunt, iſti portum digito monſtrant, ſed vt in mari ſæuiente vento per tenebras velis remiſque imcūbendum eſt vt portum teneas, ita & in hac rerum caligine ſæuientibus animi procellis labor, induſtria, perſeuerantia omnis adhibenda eſt, vt eruditionis portum ſine offenſione aucuperis. Ideo in Gymnaſijs in quibus erudiri iuuenes moris fuit Hercules & amor dicati, quod Herculis labor ad literas afferendus, & ſudor ipſe qui labore exprimitur, ſi ſumma omnia ſpectas, amandus, & vltro ſit appetendus.

Mirabilem Herculis induſtriam fuiſſe commemorant, qui cum ad boues Eritheas velificaretur, lebete pro naui, claua pro malo, exuuio leonis pro velo, pharetræ loris pro rudentibus, faretra ipſa pro gubernaculo, arcu pro remo vſus ſit, & felici nauigatione portum tenuerit; nolite putare ludicro commento poetarum ingenijs id Herculi temere tributum, quem omnes Græcæ ſapientiæ ducem & principem

fuiſſe

fuiſſe conſentiunt, hoc illi voluerunt Herculis induſtriam, & laborem ad literas afferendum, ſi vel in primis vel in ſecundis conſiſtere velis. Nihil eſt tam durum & aſperum quod labore non emolliatur. quid magis ferro contumax quam adamantes & pyropi? Durities tamen illa cedit labori, manum patitur, inſculpitur, & ferro expolita domatur, feræ etiam immanes induſtria manſueſcunt, Elephantes in fune ambulant, Leones manum ſequuntur, dracones vocati adſunt, & ad nutum Dominis famulantur, canes & equi ad tibiam ſaltant, & iuuenes vt in ſapientiæ arce conſiſtant laborem refugient? Non eſt hominis, ait Seneca, timere ſudorem. negotia quæ nos à ſtudijs auocant abrumpi poſſunt, explicari non poſſunt, quod negotium ex negotio ſeritur, & occupatio occupationi ſicut vnda ſuccedit vndæ? Agite igitur ingenui adoleſcentes, laborem ſtrenuè capeſſite, lectioni ſerio incumbite, veteres auctores diurna nocturnaque manu diligenter euoluite, apes imitamini, quæ è varijs floribus ſuccos legunt ſed eos ſuo ſpiritu mutant ac digerunt, alioqui mel non facturæ, Ita & vos è varijs auctoribus flores legite, digerite, & ſpiritu veſtro in ſuccum & ſanguinem mutate, vt mel habeatis. Nihil hic uobis ad eruditionem deeſt, ſi vel incuria vel ignauia uobis ipſi non deeſtis. Doctores ex tota Italia celeberrimi, vigilantiſsimique adſunt ex quorum alloquijs veluti ex perenni fonte limpidiſsimi ſcientiæ latices ſcaturiunt, docentium & diſcentium validiſsima ſunt ingenia, corporis habitus firmus, anni, animique tolerando labori pares, manum igitur operi quam primum admouete, & de vobis, de literis, de Doctoribus, de labore ipſo ſumma omnia, Deo ceptis aſpirante, citra dubitationem exſpectate.

FINIS.



PISIS, *Apud Ioannem Fontanum*, M. DC. XVIII.
Superiorum permiſſu.

IV